

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4616

**Auteur(s) :** Raoul Ier Taisson [particulier]

**Auteur(s) :** Raoul II Taisson [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Saint-André-sur-Orne, Saint-Étienne de Fontenay (abbaye)

**Genre d'acte :** pancarte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1070...

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Pancarte B (voir MUSSET, « Actes inédits du XI<sup>e</sup> siècle, V », p. 13-14) résumant les donations de Raoul Ier et de Raoul II Taisson à l'abbaye de Fontenay, rédigée après la mort de Raoul II.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Musset Lucien, *Actes inédits du XI<sup>e</sup> siècle V*. Autour des origines de Saint-Étienne de Fontenay, *BSAN* n° 56, 1961-1962, Texte II, p. 37-40.

## Dissertation critique

« vers 1070 (?) » : datation proposée par Musset. Voir Idem, « Actes inédits du XI<sup>e</sup> siècle, V », p. 14.

Texte établi d'après a

Ne posteris latere queat quanta vel qualia donata sint predia huic monasterio Sancti Stephani Fontanetensis cenobii et a fundatoribus suis qui illud pro animarum suarum redemptione construxerunt, presenti litterarum descriptioni cunctis legenda tradidimus. Radulfus igitur Taxo, qui primus ejus fundator et constructor extitit, senis Radulfi Taxonis et Alpaidis filius, dedit predictae ecclesie in hac villa, hoc est in Fontaneto, partem suam terre quam habebat in hac valle a via que ducit a Moiaco ad Stavellos usque ad aquam Olne, et quadraginta acras terre quas emit ab Osmundo Labita, et in villa que dicitur Icius duos vavassores, Rainaldum et Ingulfum, et duodecim acras terre in Bajcassino (sic), hoc est trans Olnam, quas mutuo accepit a Willelmo Marmione, et partem suam ecclesiarum Fontaneti cum totis decimis ad eas pertinentibus, et terram Erfasti presbiteri, et partem suam aque ad piscandum, et partem suam vinee Fontaneti, et dedit duas partes totius decime terre sue quam habebat in Alamannia, et in Icio et in Brassio et in Fulbertifolia, et concessit ut monachi ibidem Deo servientes haberent duos asinos qui eis necessaria ligna deferrent de parte sua Cingalensis silve, et adhuc concessit ut si qua ligna inveniri possint in eadem silva ad edificia predicti loci utilia, absque contradictione caperentur. Dedit et ecclesiam de Bolon cum decimis ad eam pertinentibus, etiam et decimam molendini, et ecclesiam Sancti Vedasti cum totis decimis sibi appendentibus, et partem suam ecclesie Sancti Lamberti similiter cum decimis suis, et partem suam ecclesie de Cleceio necnon et decimas ad eam pertinentes, etiam decimas molendinorum, et totam ecclesiam de Canhadon cum decimis ad eam pertinentibus et domum presbiteri cum tota terra sua, et quod habebat in ecclesia de Maisnil Hubert cum tota decima terre sue in eadem villa. Hactenus sunt dona Radulfi Taxonis primi fundatoris nostri monasterii.

Quo defuncto, princeps hujus terre omnia que sua fuerant in manu sua retinuit, quia filius ejus parvus erat et ea necdum tenere poterat ; ad ubi ad maturam pervenit etatem, paternam hereditatem a prefato principe suscepit, et ipse Radulfus Taxo ut pater ejus vocatus est, qui libenter omnia que pater memorato dederat monasterio concessit, et de parte sua ista que secuntur paternis donis adjecit. In primis terram Radulfi Grosseti de Stavellis qui absque herede occubuit in bello Mortui Maris, et terram Herluini de Furavilla totam sicut eam de illo tenebat ea die qua Nortmanniam dereliquit et in Apuliam abiit, et decimam omnium redditionum suarum que sibi competebant Cingalensis silve, et elemosinarios quos habebat Condelli, et terram totam in circuitu prefate silve, que eradicatis arboribus ad arandum apta remanere potuisset, et decimam totius telonei sui de Torei et fori et mercati, et burgarium unum cum totis consuetudinibus suis, et decimam molendini del Chesneit, et decimam piscationum suarum circa Torei, et decimam denariorum suorum de Canhadon et de Rovorou et de la Moce, et dimidiam ecclesiam Sancte Marie de Rovorou, et unam acram terre et unum burgarium in eadem villa cum totis consuetudinibus suis. Apud Perceium dedit unum hospitem cum plenis debitis, quietum ab omnibus querelis que sibi competebant, et dedit decimas totius domini sui quod ibi habebat vel habiturus erat, tam ipse quam omnis heredes sui in terra et aqua, silva sive plano, et non solum ibi, sed etiam ubicunque aliquid domini habebat vel conquisiturus erat, et heredes sui post se, decimas omnium predictae dedit ecclesie. Qui etiam hoc concessit ut omnes homines sui qui aliquid de eo tenebant eidem ecclesie de terris suis aut darent aut venderent quantum vellent, quietas ab omni calumnia. Dedit autem et terram Odonis de Cormellis et terram Anfredi alodarii de Borgasbu, et in Fontaneto dedit dimidiam mansuram terre in qua manebat Osmundus pater Ingulfi Callidi. Igitur priusquam omnia hec que prediximus sepe dicto contulit monasterio, rogavit Willelmum, qui jam et Anglorum rex et Normannorum comes, ut ibidem abbatem constitueret, qui omnium rerum ecclesie pertinentium curam gereret, et ad Dei servitium ut utilius posset ordinaret ; cui roganti memoratus princeps assensum prebuit et quemdam monachum Gaufridum nomine, ad hoc ipsum preelectum, ordinari precepit.

Contigit ergo ut secundus Radulfus Taxo, qui predicta donaverat, correptus incommodo, ad extrema veniret ; qui anime sue periculum metuens, predictum abbatem ad se vocari fecit, et sub ejus presentia concessit Sancto Stephano terram Ingulfi d'Esson totam, sicut de eo tenuerat, et unum arpentum in Calvomonte, et in villa que dicitur Icius totam terram Radulfi Pura Aqua, sicut de eo habuerat, et molendinos Fontaneti ; et post obitum suum sepeliri se in eodem monasterio precepit, concedens totam partem pecunie sue que se contingebat. Quo mortuo, abbas Gaufridus et omnis sui sine patrono, sine consilio et sine auxilio, excepto Deo et prefato rege Willelmo, remanserunt. Abbas tamen ut potuit cum omni sollicitudine ecclesiam sibi commissam gubernavit et quodcunque potuit adquisivit.